

VITA CAROLI IV AB IP SO CONSCRIPTA

Fontes rerum Bohemicarum 3. 342

(c. IV.) Tempore illo misit pater meus in comitatum Lucemburgensem pro me. Ego uitem arripui iter per civitatem Metensem, per ducatum Lothringiae, per Burgundiam et Sabaudiam usque in civitatem Lausannensem super lacu. Deinde transivi montes Brige et veni in territorium Novariense, et abinde veni in Parasceve in civitatem Papie, quam tenebat pater meus.

In die autem Pasche, scilicet tercia die postquam veneram, intoxicata fuit familia mea, et ego divina me gracia protegente evasi, quia missa magna prolixè agebatur et communicabam in eadem et nolui comedere ante missam. Cum autem irem ad prandium, dictum fuit michi, quod familia mea subito in infirmitatem ceciderit, et specialiter illi, qui ante prandium comederant. Ego sic aspiciens vidi hominem pulchrum et agilem, quem non cognovi, qui deambulabat coram mensa, fingens se mutum. De quo habita suspitione eum captivare feci. Qui post multa tormenta tercia die locutus est et confessus fuit, quod ipse in coquina cibariis toxicum immiserat de iussu et procuracione Azzonis, vicecomitis Mediolanensis. De illo autem toxico fuerunt mortui: Johannes dominus de Hornkirin, Johannes de Berge, magister curie mee, Symon de Keyla, qui deserviebat mense mee, et quam plures alii.

Ego autem manebam illo tempore in monasterio sancti Augustini, ubi corpus suum iacet in Papia, de quo monasterio expulerat Ludovicus de Bavaria abbatem et canonicos regulares illius monasterii, quos ego revocans in predictum monasterium introduxi. Deinde ivi ad patrem meum in civitatem Parmensem, et eram intrus annuum sextum decimum. Pater meus autem commisit regimen omnium illorum et tuitionem mei domino Ludovico de comitibus Sabaudie, qui erat socer Azzonis vicecomitis Mediolanensis. Recedens de Parma ivit in Franciam, et tradidit filiam suam secundogenitam, nomine Guttam, sororem meam, Johann, filio primogenito Philippo, regis Francie. Primogenitam autem Margaretam habebat Henricus, dux Bavarie.